






444







DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
SPONSA CHRISTI 57  
Sive  
De  
E C C L E S I A,

Quam

Auxiliante Sacro-Sanctâ Trinitate,

&

P R Ä S I D E

M. JACOBO SCHNITZLERO

Philosophiæ in Gymnasio Cibiniensi

Professore

Publicæ disquisitioni subjicit

P A U L U S F A B R I C I U S

S A R O S I E N S I S

Ad diem 26 Febr. Horis Locoque consuetis.



C I B I N I I,

Apud A B R A H A M U M K E R T E S Z S Z E N C I E N S E M.

M. D C. L X V I I



V I R I S

*Admodum Venerandis, Clarissimis atq; Praestantissimis*

- Dn. LAURENTIO GREGORII, olim Pastori Ecclesiae  
Nagy-Schenkensis meritissimo.
- Dn. JOHANNI LEPRICH, Pastori Ecclesiae Mariævallen-  
sis vigilantissimo, ejusdemque Capituli Decano gravissimo.
- Dn. GEORGIO TUTIO, Ecclesiae Kis-Schenkensis Pastori  
fidelissimo, nec non ejusdem Capituli Seniori dignissimo.
- Dn. BARTHOLOMÆO BAUSNERO, Ecclesiae Requi-  
nientium Pastori observandissimo.
- Dn. THOMÆ DENGELIO, Pastori Ecclesiae Brullya-  
ensis laudatissimo.
- Dn. JOHANNI DEIDRICIO, Pastori Ecclesiae Holtz-  
magensis solertissimo.
- Dn. DANIELI WONNERO, Pastori Ecclesiae Verdensis  
fidelissimo.
- Dn. JOHANNI ABRAHAMI, Ecclesiae Prasmariensis Pa-  
stori meritissimo.
- Dn. JOHANNI CUNRADO, Verbi Divini Ministro Scha-  
rosiensi dignissimo.
- Dn. PAULO HOMIO, p.t. Cantori Cibiniensi observando.

*Dominis Patronis, Fautoribus, Amicis & Promotoribus  
Studium hocce Theologicum offert*

PAULUS FABRICIUS

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

RESPONDENS.

## PRÆLOQUIUM.

**N**ter reliquas Controversias quæ agitantur hodierno tempore inter Theologos Orthodoxos & Pontificios, haud certè postremi momenti est illa de Ecclesia. Dici enim non potest quantopere certent & laborent pugiles Romanenses, ut simplicioribus persuadeant, Romanam Ecclesiam esse illam quæ sit columna & firmamentum veritatis & contra quam portæ inferorum nihil prævalere possint, et si sciant & sufficientissimè demonstratum habeant in medio illius pseudo-catholica Ecclesia sedere bestiam illam abominabilem, Antichristum, sceleratum illum hominem peccati & filium perditionis, qui se extollit supra quicquid dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Deit anquam Deus sedeat, 2 Thess. 2.3, 4.8. Hinc tumultuantur in primis apud simplicem populum doctrinam nostram Evangelicam esse novam, quæ cœperit tantum tempore Lutheri & antea nullibi fuerit; proinde nos defecisse ab Ecclesia Apostolica Novi Testamenti, quam ipsi adbuc dum per continuam successionem à tempore apostolorum apud se habeant. Quād verò iniquè & mendaciter hac ipsa dicantur, presenti disquisitione manifestum fiet, in quā quæstiones quasdam ex Articulo de Ecclesia publica luci exponimus ad illustrationem veritatis & confusionem spiritus tenebrarum, tūm deinde etiam ad emolumenium juventutis nostræ scholastice. Quod ut obtineamus de Ecclesia, nos existentes in Ecclesia, annuat ille qui eandem proprio mercatus est sanguine!

### QUESTIO I.

Quid de voce Ecclesiæ notandum?

**V**Ox Ecclesiæ origine Græca est, à præp. ἐν & verbo ναλέω, i. e. yoco, quasi evocationem, congregationem, con-

Ventum vel collectionem dicas. Ebrais vocatur *Cahal* per Koph, i. e. convocatio scil. hominum, & *Edah*, quod inductionem & conventum, iterum scil. hominum, denotat. Quæ duo vocabula expressè in S. Scriptura leguntur Proverb. 5/14. Confer Levit. 8/3.4. In V. T. 70 Interpretes in græcâ linguâ usurparunt vocabulum *ονδαγωγη*, quod literis latinis Synagoga nuncupatur, quo termino etiam Apostolus Jacobus cap. 2/2. utitur quando inquit: *Singrediatur quis in cœtum vestrum* (*εις την ονδαγωγην ωμων*) *aureum gestans annulum.* Alias de Judæorum conventiculis vox hæc in N. T. apud singulos Evangelistas & in Actis Apostolorum occurrit, ut Matth. 12/9. Marc. 3/1. Luc. 13/10. Joh. 18/20. Act. 9/2. &c. Apostoli autem in N. T. substituerunt quasi vocem Ecclesiæ; hinc quia Ecclesia etiam alium quemvis cœtum denotare potest, vocatur Ecclesia N. T. nunc Ecclesia Dei, Act. 20/28. 1 Cor. 10/32. Cap. 11/16. nunc Ecclesia Christi, Rom. 16/16. Coloss. 1/24. Christus etiam ipsem Ecclesiam vocat *sua m*, Matth. 16/18. Cum itaque vox hæc Ecclesia latinè propriè *Evocationem* significet, patet magis vocationis istius objectum seu cœtum vocatorum quam actum vocandi ipsum intelligi, etiam si huic cœtu nemo aggregari possit, nisi à Deo vocetur.

Usurpatur autem vox hæc Ecclesia tūm in Scriptura tūm extra eandem potissimum tripliciter. (1) Generaliter, quando scilicet quicunque & qualiscunque cœtus intelligitur ut e. g. Psal. 26/5. pro congregatiōne maleficorum, Apoc. 2/9. cap 3/9. pro Synagoga Sathanæ. Confer Act. 19/32. 39, 40. (2) Specialiter, pro cœtu eorum, qui per verbum & sacramenta ad salutem æternam vocantur, quo in cœtu qui sunt distinguuntur ab infidelibus, Judæis & paganis, qui à Christianismo abhorrent, & ita sunt in Ecclesia quoad professionem, omnes illi qui verbum Dei audiunt & sacramentis utuntur. (3) Specialissime,

cialissimè, pro cœtu Electorum pièque & verè fidelium, quo  
seniū Ecclesia est Columna & firmamentum veritatis. Hic  
cœtus quidem semper (extra casum necessitatis & violentiæ)  
ibi est ubi est verbum Dei & Sacramentorum usus legitimus  
sed non solus. Nam hæc illatio ordinariè valet: Ubi Electi ibi  
verbum Dei & Sacra menta: non autem contra: Ubiverbum  
Dei & Sacra menta, ibi quivis Electus.

M. ACADEMIA'  
KÖNYVIARA

Q U A E S T I O   II.

Quā ratione Ecclesia definiatur & dividatur?

Ecclesiam Augustana Confessio Artic. VII. breviter ita  
definit: Ecclesia est congregatio Sanctorum, in quā Evan-  
gelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramen-  
ta. Leonh. Hutterus in locis Theolog. pag. 511. prolixius  
hoc modo: Ecclesia vera N. T. est cœtus eorum hominum  
omnium, qui per ministerium Evangelii, purè prædicati, &  
Sacramentorum legitimè administratorum, ad societatem  
regni Christi vocantur, congreganturque, in quo cœtu non  
possumunt non esse electi & verè in Christum credentes, & sic  
aeternū salvandi: sic tamen ut istis sint permixti mali & non  
sancti, eandem tamen doctrinam profitentes. Hinc extra  
hunc cœtum vocatorum non sunt quærendi Electi, & rectè  
dixerunt veteres: Non habet in cœlis patrem, qui non in  
terris agnoscit matrem. Alii hoc modo: Ecclesia est cœtus  
hominum à Deo per prædicationem verbi & administratio-  
nen Sacramentorum ex universo mundo vocatorum & con-  
gregatorum ad regnum Dei, in quo sunt Electi & simul  
non sancti, sed tamen in professione fidei consentientes.  
Friedl. in Medull. p. mihi 868.

Dividitur Ecclesia (1) in militantem & Triumphantem.  
Illa comprehendit fideles in his terris militantes & pugnantes

contra diabolum, mundum, carnem & mortem, 1 Joh. 5/4.  
Hæc complectitur beatos in verâ fide mortuos & in æternâ vi-  
tâ triumphantes, Apoc. 14/13. (2) Ecclesia militans dividi-  
tur in Ecclesiam Veteris & Novi Testamenti. Illa Nationem  
Judæorum potissimum spectabat, Psal. 76/2.3. Psal. 147/19.20.  
Hæc ex omib[us] gentibus & nationibus congregatur, Psal.  
19/5. Rom. 10/18. Matth. 28/19. Marc. 16/15. Coloss. 1/6. 23.  
(3) Ecclesia est vel vera vel Hypocritica. Illa antea definita  
est, Hæc est quæ sibi nomen Ecclesiæ perperam arrogat, Psal.  
26/5. Joh. 16/2. (4) Ecclesia est vel Visibilis vel Invisibilis,  
sive Externa & Interna. Ita dicitur Ecclesia militans ratione ju-  
dicii oculorum & sensuum, visibilis non tamen, ut Dn. D. Broch-  
mandus loquitur, quia homines ipsi, è quibus coalescit hic cætus,  
videri possunt, quam quia ipsorum externa professio ordo & commu-  
nio, aliaque id genus aperta fidei indicia, sensibus exposita sunt, Act.  
5/11. Invisibilis dicitur, quod à solo Deo, non vero ab homini-  
bus videatur, estque per totum mundum dispersa, 1 Reg. 8/29.  
2 Tim. 2/19. (5) Ecclesia est vel Universalis vel Particularis.  
Illa diffunditur per totum mundum & dicitur Catholica tunc  
ob doctrinam tunc etiam quia ad certum locum non est alli-  
gata, Matth. 28/19. Marc. 16/15. Hæc est in certo loco Terræ,  
sive magno sive parvo, hoc est, in integro regno, civitate &  
familia, Act. 9/31. Rom. 15/1.1 Corinth. 16/19. Act. 11/26. Apoc.  
2/1.8.12. 1 Cor. 16/19. Coloss. 4/15. Tandem denique (6)  
Pontifici absurdè distingvunt Ecclesiam in virtualem, Repræ-  
sentativam, & visibilem. Illam dicunt Sanctis Angelis & bea-  
tis hominibus in cœlo competere. Istam constituere Roma-  
num Pontificem & reliquum clerum h. e. Episcopos, Cardi-  
nales, Monachos &c. Hanc Laicorum, ut ipsi illos vocant,  
multitudinem esse censem. Absurdè sanè, imò absurdissimè!  
Nam (1) Angeli non nobiscum vocantur ad unam Ecclesi-  
am, ne-

am, neque per auditionem verbi Dei & usum Sacramentorum nobiscum unam Ecclesiam constituere possunt (2) Sacrilegum & Tyrannicum est soli clero titulum Ecclesiæ attribuere, quasi personarum acceptio more mundano locum apud Deum haberet. Contrarium legitur in Epistolis Apostolorum. Ecclesiam videlicet constitisse & ex clero & ex laicis, uti videtur est, Apoc. 2 & 3 & locis paulò ante allegatis. Et hæc nunc dicta sunt de definitione & divisione Ecclesiæ.

### Q U A S T I O III.

*An Doctrina Evangelica per B. Lutherum à tenebris Papatus vindicata & asserta sit recens & nova, atque tantum bis ultimis temporibus excogitata?*

**A**ldax est Pontificiorum & quidem maximè Jesuítarum assertio, Ecclesiam nostram Evangelicam cœpisse tantum ante sesqui centenos annos cum ipso Luthero, à quo etiam dogmata nostræ fidei ob spiritum quendam elatum & fastuosum recenter excogitata sint; Solam autem Romanam seu Pontificiam Ecclesiam esse veram illam catholicam Ecclesiam, Unam, Sanctam, Apostolicam, Sponsam Christi, dominum Dei, columnam & firmamentum veritatis. *Vid. Martinus Bécanus Manual. Lib. 1. c. 3: de Ecclesia Concl. 2. & 5.* Quâ fronte & quâ veritate hæc dicantur hic dispiciemus. (1) Certum est veram Ecclesiam esse antiquissimam eamque in paradyso tempore Adami cœpisse, Gen. 3. 15. atque tandem per Patriarchas, Prophetas, Christum & Apostolos propagatam fuisse (2) Perennitatem Ecclesiæ non negamus sed concedimus Ecclesiam Dei nunquam deficere neque defecisse neque etiam defecturam simpliciter, juxta S. Scripturæ oracula Esa. 59. 21. Matth. 16. 18. c. 28. 20. (3) Distingvendum est inter Ecclesiam pressam & liberam, sive inter Ecclesiam latenter & patentem sive florenterem.

rentem. Ita Ecclesia latens fuit tempore Eli Sacerdotis, 1 Sam. 3. 1. ubi dicitur sermonem Jehovæ fuisse rarum temporibus illis nec fuisse visionem apertam. Ita Elias Propheta se solum esse querebatur 1 Reg. 19. 14. Confer 2 Chronic. 15. 3. 2 Reg. 22. 8. Ecclesia Patens sive florens est quæ extra persecutionis statum posita est. Ita comparatur Urbi supra montem positæ, quæ abscondi non potest, & lucernæ super candelabrum splendenti omnibus qui sunt in domo, Matth. 5. 14, 15. (4) Potest fieri ut in uno loco Terræ Ecclesia sit latens, in alio vero loco florens. Ita ante Lutherum in occidente fuit Ecclesia latens, in oriente florens pro ratione statu illius temporis. (5) Potest Ecclesia particularis hæc vel illa, immo etiam omnes particulares Ecclesiæ, tantæ angustiæ involvi atque obscurari, ut quoad externum purum ac legitimum ministerium publicè nobis non constet ubi & quo in loco sit vera Ecclesia Christi particularis visibilis? His præmissis dicimus Doctrinam Evangelicam à B. Luthero assertam esse antiquissimam & veruissimam, Aliud enim est cœpisse Ecclesiam Lutheranam quoad nomen & aliud quoad rem sive doctrinam. Homines mutantur singulis generationibus, non vero ita doctrina, quæ semper & constans eadem est.

Argumentamur: I.

Quacunq; doctrina & fides fuit omnium Patriarcharum Prophetarum, & Apostolorum illa non est nova sed antiquissima, vetuissima. At doctrina & fides Euangelica à B. Luthero asserta fuit &c. E.

II.

Quacunq; Ecclesia habet antiqua illa Biblia canonica primitiva Ecclesia, eundem Baptismum, eandem Cœnam Domini, eandem absolutionis formam, eadem veneratur & admittit Concilia, & symbola, illa est non nova, sed antiquissima. Atqui Ecclesia à B. Luthero Lutherana, rectius vero Apostolica, Catholica dicta, ita se habet. Ergo.

III. Quæ-

## III.

*Quaecunque doctrina Prophetis & Apostolis ignota fuit & tantum ante aliquot secula in Papatu coepit illa est nova & falsa. Atqui doctrina Pontificiorum ita se habet. Ergo.*

Minor probatur. In universa enim S. Scriptura nullibi hæc habentur figmenta vel pro dogmatibus fidei venditantur, puta, Missi Pontificia, Traditiones Papales, Indulgentiæ, Invocatio mortuorum, Purgatorium Ethnicum & Pontificium, aliaque similia.

## Q U Ä S T I O IV.

*Ubi fuerit Ecclesia vera ante Lutherum?*

**Q**uerunt à nobis Catholici Romanenses ubi & in quo Terræ loco, Regno vel orbis parte fuerit Ecclesia vera ante Lutherum per aliquo secula, quæ eadem dogmata cum Lutherana Ecclesia habuerit? (1) Aliud est dicere sub Papatu fuisse veram Ecclesiam & aliud longè Papatum fuisse veram Ecclesiam. Illud affirmamus. Hoc rotundè negamus. (2) In Papatu quædam sunt quæ sunt Dei & Christi, ut, Biblis, Baptismus, Cœna Domini; quædam quæ sunt Papæ & Antichristi, ut Traditiones, Idololatria, Purgatorium, &c. (3) In græca Orientis Ecclesia fuit Christianismus & Sacramentorum administratio, quæ tamen extra occidentem & Papatum constituta fuit.

His præmissis Respondemus Ecclesiam verâ ante Lutherum fuisse etiam in sive sub Papatu (1) Apud illos qui Pontificiam Idololatriam improbarunt, quales plurimi inde à tempore invalecentis Tyrannidis pontificiæ extiterunt, cœu videre est in Cathalogo Testium veritatis (2) Apud Martyres, qui sanguine & morte suâ testati sunt le abhorrente ab Idololatria Pontificia, quo etiam referendus Johanes Huss & Hieronymus Pragensis, qui contra omnem fidem datam Anno 1415 in Concilio Constantiensi combusti sunt (3) Apud Infantes in medio Papatus, in nomine S-S. Trinitatis baptizatos, eos vide-licet, qui post baptismum mortui sunt antequam Idololatria Papalis ipsos inficeret & perverteret [4] Apud simplices illos Christianos, qui ex Evangelii & Epistolis & Historia passionis Christi simplicem fidem atripuerunt & fiduciâ in misericordiâ Dei & meritu Christi mortui sunt [5] Nō dubita-mus quodam & hodie in media Italia & Hispania Idololatriam Pontificiam detestari in corde suo, neque sequitur, si nos eodem digitis non possamus monstrare. E. non dantur. Novit Dominus suos. 2 Ti. 2. 19. (6) Tempore Elias Ecclesia etiâ coram mundo inconspicua erat & arbitrabatur Elias se solum inter Baalitas supermansisse 1 Reg. 19/14. sed v. 18, inquit Deus: Reliquo feci

ex Israele septies mille: quorum omnium genua non curvaverunt se Bahali, & quorum omnium os non osculatum est illum. Si Propheta ignoravit illo tempore Ecclesiam ibi esse & tamen ibi fuit, nobis idem contingere poterit, neque à nostra Ignorantia statim ad rei negationem valet consequentia, ut Philosophi loquuntur. Patet hinc calumniari & mentiri Antichristi milites, quando de nobis clamant, statuere nos, neminem in Papatu unquam salvatum neq; salvari, adeoq; per aliquot secula nullam, ut ipsi nugantur, fuisse Ecclesiam veram, sed eam penitus interisse; concedimus enim in & sub Papatu quodam salvari sed non per Papisticam religionem, quatenus sunt Papistæ, sed quatenus simplici fide in meritum Christi fiduciam suam collocant, ignorantiam habentes puræ negationis de impietate meretricis Babylonicae.

## Q U Æ S T I O V.

*An Ecclesia Apostolica per continuam successionem ita ad Papatum devoluta sit, ut hodie nulla Ecclesia Apostolica dici queat, nisi Pontificia?*

Purima hic notanda venirent de singulis ferè verbis in Quæstione propositis; sed breves propter institutum nostrum ducemus lineas. (1) Ecclesia Apostolica dicitur vel propter personam Apostolorum vel propter Doctrinam. Illo modo dicebantur Ecclesiæ viventibus Apostolis; Hoc modo quævis Ecclesia, quæ Apostolorum doctrinam fovet, rectè dicitur Apostolica. Ita Symbolum Apostolicum dicitur, quia Apostolicam fidem continet. (2) Continua successio est vel localis vel doctrinalis, sive vel in officio vel in dogmate. Non autem queritur de successione in loco, sed de successione in doctrina. Ita Pharisei dicuntur sedere in Cathedra Mosis secundum officium in quo erant, secundum doctrinam vero Hypocritæ erant. Matth. 23/2. 3. 13. Ieq. (3) Ecclesia Pontificia consideratur vel ratione dogmatum Papalium, vel ratione dogmatum quorundam, quæ non ad Papatum pertinebant, sed in Papatu, corruptissimè quamvis, existebant. Illo modo se habet, Pontificis Romani infallibilitas, Purgatorium &c. Hoc modo Baptismus, Cœna Domini & Sacer Codex (4) Quando queritur quibusnam Lutherus successerit & quosnam habuerit antecesiores, respondemus: illis omnibus qui ante ipsum veritatem Evangelicam agnoverunt. Si autem Pontificii spuriam suorum Pseudo-Episcoporum successionem urgeant, ultrò concedimus, Lutherum Lupis istis rapacibus non successisse nec alios Orthodoxos Pastores animum ipsis succedere.

His præmissis negamus Ecclesiam Pontificiam esse Apostolicam, quæ videlicet doctrinam Apostolorum pér continuam successionem apud se & in se habeat. Quia in omnibus fere Articulis fidei Apostolis Ecclesia Pontifica contradicit, & ne forsan supervacaneis nos detineamus ambagibus, proponemus in forma Syllogistica unum vel alterum argumentum.

Argumentamur:

I.

Quaecunq; Ecclesia docet S. scripturam esse imperfectam, obscuram, insufficiētem normam religionis, Sanctos esse invocandos &c. illa contrariatur Apostolica doctrinæ. Atqui Ecclesia Pontifica ita docet. Ergo Ecclesia Pontifica contrariatur apostolica doctrinæ, & per consequens non est apostolica. Major probatur. Quia S. Scriptura est perfecta 2 Tim.3/15.16.17. Joh.5/19. perspicua 2 Pet.1/19. 20.21. Psal.19/8.9. Sufficientissima Religionis norma Gal.1/8. &c. Minor extra controversiam est, & ex Ecclesia Pontifica pullulat.

II.

Quaecunq; Ecclesia aliud habet caput, quam Christum Jesum, illa non est apostolica. Pontifica Ecclesia aliud habet caput quam Christum Jesum. Ergo non est apostolica. Major probatur quia Ecclesiæ Apostolicae caput est solus Christus Eph.1/22. cap.4/15. c.5/13. Colossi 1/18. Minor constat ex Praxi Pontificiorum, qui Petrum & Papam caput Ecclesiæ faciunt, & ita ex Ecclesia monstrum aliquod multiceps fingunt. Vid. Beccanus Manual. Lib. 1. cap. 1V. de capite Ecclesiæ. Nobis Christus æterna illa petra est caput Ecclesiæ, esto Pontificis Caput Ecclesiæ suæ Antichristus & filius ille perditionis!

III.

Quaecunq; Ecclesia peccatorum remissionem pecuniâ vendit, illa non est apostolica. Pontifica hoc facit. Ergo. Major probatur Act.8/18.20. Minor plus quam vera est ex Historia Anni 1517 de indulgentiis Papalibus, quas Johannes Tetzel us in Germania in perniciem Coronæ Papalis pecunia vendebat, unde etiam primordia Reformationis oriebantur; cuius venditionis plusquam Judaicæ si non pudet Scorti Romani balsiatores, nulla sane amplius erit apud ipsos honestatis aestimatio. Ipsi viderint & hæc boni consulant! Alias plura!

## Q U A E S T I O . VI.

An Ecclesia Romana seu Pontifica sit vera Ecclesia?

B Ecanus in Manual. Lib. 1. cap. 3. Conclus. V. hanc ponit Thesin: Ecclesia Romana seu Pontifica est vera Christi Ecclesia. Lepida sapè & perfectè

fecte Papistica positio! Quam si Becanus ex S. Scriptura demonstrasset,  
dignus fuisset ollà culina & corona Romanā. Nos videbitus an res ita se  
habeant non? (1) Distinguendum est inter Ecclesiam Romanam & in-  
ter Ecclesiam Pontificiam. Non omnis Romana Ecclesia statim  
est Pontificalis. Ita tempore Apostoli Pauli Ecclesia Romana non erat  
Pontificalis. (2) distinguendum inter triplicem Ecclesiae Romanae  
statum ratione temporis; Primus status refertur ad tempora Apostolorum,  
ubi concedimus illo tempore Romanam Ecclesiam fuisse veram Ec-  
clesiam quippe ab Apostolis plantatam, hinc Paulus ad Romanos scribens  
inquit: *Fides vestra annunciat in toto mundo Rom. 1/8.* Secundus status refer-  
tur ad vetustiorem illam Ecclesiam Romanam aliquot seculis post mortem  
Apostolorum existentem, & hanc quoque concedimus fuisse veram Ecclesiam,  
quaे fundamentum fidei retinuerit, e si rugosa atque superstitionis in dogma-  
tibus & ritibus non paucis fuerit, maxime circa finem invalecente iam  
Tyrannide Papali, farendum enim hic esse quandam diversitatem putamus  
circa principium, medium & finem, istius Ecclesiae, quoad labem & naves  
suos. Tertius status refertur ad reliquum & hodiernum tempus quatenus Ec-  
clesia Romana Pontifica dicitur quaे Papam Romanum pro capite suo ag-  
noscit. De hac ultimâ acceptione questio præsens instituitur.

His præmissis dicimus Romanam seu Pontificiam Ecclesiam non esse ve-  
ram Ecclesiam. Quia (1) Apostolus Paulus inquit, Ecclesiam Romanam  
excindendam fore, si incredula fiat & non per fidem stet, Rom. 11/20. 22.  
At Ecclesia ista jamdudum incredula facta est & fidem veram amisit contra  
monitum Pauli huic Ecclesiae olim commissum, Rom. 4/2. 3. cap. 14/23.  
& Gal. 1/16. Quia (2) Ecclesia Romana in fundamento fidei errat, uti  
prolixè à Theologis nostris demonstratur & ex praxi Religionis Pontificiae  
patet. Quia (3) Ecclesia Romana Pontifica est Ecclesia particularis. Parti-  
cularem autem Ecclesiam deficere posse à fide expresse dicitur in Sacra Scri-  
ptura 1 Tim. 4/1. 2 Pet. 1/1. & etiam exemplo Ecclesiae Judaicæ aliarumque  
probari potest. Romanam Pontificiam Ecclesiam vero defecisse à fide vel  
exinde constare potest, quod statuunt, per opera hominum nos justificari &  
salvari nec non per merita Sanctorum, non autem per fidem in Christum  
Iesum, quamvis expresse dicatur Act. 4/12. Non est in alio quoquam salus nec  
enim aliud nomen est sub caelo quod datum sit hominibus per quod oporteat nos servari.

## Q U A E S T I O N E VII.

*Angenuinus Character vera Ecclesia sit pura & sincera verbi Dei  
prædicatio*

*predicatio ut & legitimus Sacramentorum usus?*

**A**Nequam Sententiam nostram exprimamus quædam cautelæ loco proprie  
monenda & præsupponenda sunt. Distinguimus (1) inter Ecclesiæ  
am Triumphantem & militarem. Quæritur de hâc, non illâ, concedimus  
enim ultrœ Characteres hosce sive Notas Ecclesiæ Triumphantæ non compe-  
tere. Distingu. (2) inter Ecclesiæ visibilem & invisibilem. Quæritur de illâ,  
non hâc, quia enim ista invisibilis est, externas sanè non habet notas. Di-  
stingu. (3) inter Ecclesiæ pressam & florentem. Quæritur potissimum de  
hâc. Distingu. (4) inter cognitionem verorum membrorum veræ Ecclesiæ  
per has notas generalem & personalem seu individualem. Quæritur de  
priori. Distingu. (5) ratione hominum inter hominem docilem & indo-  
cilem. Quæritur de illo, non hoc. Turca enim vel Judæus notas  
hosce ignorans non statim potest certificari, quæ nam sit vera Ecclesia,  
perinde uisus ortus est nota diei, qui tamen ortus cœcum de  
die non certificat.

His præmissis Sententia nostra est, illam esse veram Ecclesiæ in qua ver-  
bum Dei, proprie docetur & Sacraenta legitimè administrantur, adeoque  
in his genuinum Ecclesiæ veræ Charakterem consistere. Quia (1) Ecclesia  
Corinthiaca dicitur genita esse per prædicationem verbi Dei sive Evange-  
lium, 1 Cor. 4/15. Confer, Jacob. 1/18. 1 Pet. 1/23. Quia [2] expressè in  
Sacris Literis dicitur Deum Ecclesiæ sibi colligere per usum Sacramento-  
rum legitimum, Joh. 3/5. Matth. 28/19. 20. Eph. 5/26. 17. 1 Cor. 10/17.  
Quia [3] hæ duæ notæ; verbi Dei sincera prædicatio & legitimus Sacra-  
mentorum usus, sunt Ecclesiæ proptium in quarto modo, upontec*re* cui uni-  
Soli & semper convenient. Nulla autem Adversariorum Pontificiorum  
Nota Ecclesiæ ita se habet. Ergo lequitur verum & genuinum veræ Ecclesiæ  
Charakterem consistere in purâ verbi Dei prædicatione & legitimâ Sacra-  
mentorum administratione sive usu. Has notas jam dictas veræ Ecclesiæ ~~ea~~  
leberrimus Theologus, D. Brochmandus, Notas Ecclesiæ Essentiales vocat, quip-  
pe sine quibus Ecclesia vera patens esse nequit. Secundariae autem inquit,  
Ecclesiæ Notæ sunt 1. Unitas: 2. Sanctitas; 3. Universalitas: 4. Au-  
toritas: 5. Ab errore immunitas: 6. Perpetuitas: 7. Afflictio & cala-  
mitas. Syst. Theol. Tom. 2. Artic. de Eccle. p. mihi 680. De quibus nos  
hoc addimus: Quemadmodum istæ Notæ certissimæ sunt; ita tamen non  
facile à quovis observabiles sunt, nisi accedat essentialium illarum pædago-  
gia & quasi manuductio.

## Q U A E S T I O V I I I .

*An illa sit vera Ecclesia hodierno tempore, que Miracula edere potest?*

**Q**uia hic de Notis & Signis Ecclesiae agimus, propter studiosam Junxit utem simpliciter tantum enumerabimus Notas Ecclesiae, quas Pontifici coacervant, ubi tamen notandum, quosdam ponere tres notas, quosdam sex vel octo, quosdam duodecim, quosdam quindecim: quae omnes sunt ejusmodi, ut vel ad veras notas, à nobis propositas possint referri, vel sint alijs etiam communes, & accidentariae, ac proinde neq; propriæ neq; perpetuae, vel ambiguae, obscure, fallaces & incertæ, ut loquitur Mentzerus in Exeg. Aug. c. p. 333. Nos, ut antea dictum, recentebimus quindecim Pontificiorum notas Ecclesiae & quidem ex Bellarmino Lib. 4. cap. 3. de Notis Eccl. c. 4. c. 7, c. 8. c. 9. 10. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. hoc ordine usit (1) Nomen Catholicum (2) Antiquitas (3) Duratio continua seu non interrupta (4) Amplitudo & varietas credentium (5) Successio Episcoporum (6) Conspiratio sive consensus in doctrina cum Ecclesia Antiqua (7) Unio membrorum inter se & cum capite, Pontifice Romano (8) Sanctitas doctrinæ (9) Efficacia doctrinæ in convertendis gentibus (10) Sanctitas viæ primorum patrum e. g. Bernhardi, Dominici, Francisci, Benedicti &c. (11) Miraculorum gloria (12) Lumen propheticum (13) Confessio Adversariorum (14) Infelix exitus Ecclesiam oppugnantium (15) Felicitas Temporalis. Quas Notas singulas examinatas vide sis apud Leonb. Hutt. Loc. Theol. à pag. 564. usque ad p. 568. Cum vero hic singulas hasce Ecclesiae notas ob angustiam pagellarum nos ad incudem examinis revocare nequeamus, de XI-mâ tantum Bellarmini Notâ hic brevissime quædam monebimus & norabimus, videlicet de Miraculorum gloria; *An scilicet Ecclesia vera hodierno tempore habeat Miraculorum gloriam?* Sive: *An hodierno tempore miracula in Ecclesia sint necessaria?* Beccanus Lib. 1. cap. 111. De Ecclesia, Num. 68. pag. 80. Manual. Controvers. hunc in modum de hac materia scribit; *Nullum unquam Miraculum à Lutheranis aut Calvinistis patratum est.* Ut verissime dicitus scripsit Erasmus in Diatribe de Lib. Arb. Nullum eorum adhuc extitisse qui vel equum claudum sanare poterit. Hæc claudus Beccanus.

Nos præmonemus hic (1) Distingu. inter Ecclesiam Christi plantandam & plantatam. De illa concedimus Questionem, queritur de hac, (2) Distingendum inter privilegium speciale, extraordinarium & ad tem-

ad tempus tantum Ecclesiae concessum, & inter Notam Ecclesiae perpetuam ac infallibilem. (3) Distinguendum inter Ecclesiam primitivam & hodiernam. Quæritur potissimum de hac.

His præmissis dicimus, Miracula in Ecclesia non esse necessaria neq; gloriam Miraculorum esse notam infallibilem per se Ecclesiae veræ. Quia (1) Johannis Baptista doctrina vera erat et si nulla ediderit miracula, erat etiam alia à doctrina Judæorum, & tamen nulla fecit miracula Joho. / 41. Quia (2) Miracula etiam adscribuntur Antichristo 2 Thess. 2/9. Quia (3) Diabolus quoque potest facere miracula talia qualia Pontificii faciunt Exod. 7/15. 25. cap. 8/7. nunquam enim adhuc probarunt, ipsos posse miracula vera edere; quæ sane tantum à virtute divinâ fluunt.

Addimus hic loci propter Jesuitas duo hæc Porismata (1) Nostra Ecclesia agnoscit antiquam illam Christi & Apostolorum Doctrinam, idèò etiam cōtentia est Christi & Apostolorū miraculis (2) Gloria miraculorum tribuitur Magis Ægyptiis qui certè extra Ecclesiam erant, ut paulò ante dictum, & etiam ~~Ker~~ Antichristi censemur Matth. 14/24. cap. 7/22. 2 Thess. 2/9.

### Q UÆSTI O IX.

*An Pontifex Romanus sit Caput Ecclesiae?*

**Q**uestionem hanc operosissimè à Jesuitis defensam simpliciter & rotundè negamus. Argumentamur: (1) Nulla Mulier est caput Ecclesiae. Papa (Johanna VIII.) Anno 850 fuit Mulier. Ergò non fuit Caput Ecclesiae. Ergò Ecclesia fuit tunc sine capite. Minor probatur ex Platina in vita Johan. VIII. Martino Polono in Chronico ad Annum 850 &c. Argumentamur: (2) Ecclesia sine capite non est Ecclesia. At post tempora Clementis V Ecclesia Romana ferè per duos Annos fuit sine Papa, adeoq; sine Capite. Ergo tunc Ecclesia non fuit Ecclesia. Quod absurdum. Argumentamur: (3) Ecclesia unum habet caput. At tempore Concilii Constantiensis tres fuerunt Papæ adeoq; tria capita in Ecclesia Romana. Ergo non est Ecclesia vera Romana Ecclesia. Sequitur hinc (1) Aliquando Pontificem (Johanam) non fuisse Caput Ecclesiae (2) Quia Ecclesia nunquam est sine capite, Ecclesia autem Romana fuit sine Pontifice Romano, hunc ipsum non posse esse caput Ecclesiae. (3) Quia Ecclesia unum tantum habet caput, aliquando autem tres fuerunt Papæ, iterum non potest Pompifex Romanus esse caput Ecclesiae. Q UÆSTI O X.

*An illi, qui in Ecclesia Pontificia vel aliâ Hæretica ordinati & S. Ministerio ibidem functi sunt, si convertantur ad nostram Ecclesiam, denuò de novo ordinandi sint?*

Catus

**C**' Atius iste proponitur à D. Brochmando Tom. 17. Syst. Theol. Artic.  
de Minist. Eccl. Cas. Consc. XV. pag. mihi 973. ubi adductus ratio-  
nibus nonnullis affirmat Questionem. Alii ut D. Gerhard. D. Friedlib.  
negant Questionem. Medull. Theol. de Minist. Eccl. Cas. Consc. 41.  
pag. mihi 1015. Quia (1) Ordinatio sit publico rotius Ecclesie Nomine.  
Quia (2) Substantialia ritus istius observantur. Quia (3) Ob eandem  
causam Baptismus integer censematur ab Hæreticis collatus. Quia (4) Or-  
dinatio in V. T. à Sacerdotibus in doctrinâ corruptis censematur integrâ.  
Matt. 23/2,3. *Hæc Fridl. loco citato.* Nos addimus. Quia (5) Ex ordinati-  
one Pontificia probatur ex parte Lutheri vocatio. Quia (6) Ordinatio  
non est Articulus Fidei sed tantum ritus Ecclesiasticus. Quia (7) Dignitas  
S. Ministerii facile vilescit tum apud Ecclesiam tum maximè apud Con-  
versum si ordinatio repetatur. Hinc si quid dicendum est, videtur potius  
inclinandum esse ad negantem partem. Dn. D. Brochm. loco dicto, has  
habet rationes. Quia (1) Exploratio fieri debet de sinceritate doctrinæ &c  
vitæ per ordinationem. Resp. Potest hoc fieri & sine ordinatione  
imò presupponitur in converso. Quia (2) Paulus antea Pharisæus Act. 26  
5. conversus accipit manuum impositionem: Act. 9/17. Resp: (1)  
Pauli vocatio fuit extraordinaria (2) Dubitari posset utrum allegato loco  
ordinatio intelligatur, nondum enim baptizatus fuit tunc Paulus ut ex seq.  
v. 18. vide re est (3) Non omnis manuum impositione statim est ordinatio.  
Quia (3) Paulus iteratō accepit manuum impositionem Act. 9/17. &  
Act. 13/2,3. Resp. Antea dictum: Non omnis impositione manuum est or-  
dinatio, potest etiam esse tantum benedictio &c. Eligat ex his Christia-  
nus Lector, quam volet sententiam, propterea non errabit in fide aut de fa-  
lute suâ periclitabitur.

---

### Corollaria Respondentis.

1. An vocatio Ministro Ecclesiæ sit necessaria? Aff. Hebr. 5/4. Rom.  
10/15. 2. An Lutherus legitimam habuerit vocationem? Aff. 3. An  
qui aliquo corporis vitio laborant ad S. Ministerium admittendi sint?  
Distingv. 4. An inter Ecclesiæ Ministros sint gradus & oïdines diversi? Aff.  
Eph. 4/11. 1 Cor. 12/4,28,29,30. 5. An ministris Ecclesiæ liceat Magistra-  
tum peccantem publicè arguere? Distingv. 6. An Ministris Ecclesiæ  
tempore pestis vel persecutionis fugere liceat? Distingv. 7. An Co*missio*  
nus jure divino sacris ordinibus sit annexus? Negatur.

F I N I S.

E T N I T





